



zu 005

O. i. 840 (1-101).

THESES
EX TIT. FF. C.
ET INST. DE EMPTIO.
ET VENDITIONE, ET DE
PACTIS EARVNDEN.

AD QVAS AVSPICE DEO TRINO ET
VNO, SVB PATROCINIO CLARISSIMO. AC CON-
sultis. virorum D. Ioannis Michaëlis Cronenburgeri,
Dictato. & D. Ioannis Hollandt Fisci, SS. LL. Licent. in
in florentissimo & celeberrimo Agripp. apud Vbi-
os iuridicæ facultatis Collegio, pro con-
sueto more respondebit.

PETRVS Styhem RESENSIS.

*Anno à redemptione humana CIJ. IJ. LXXXI.
XIX. Cal. Ianua.*



COLONIAE AGRIPPINAE
EXCVDEBAT PETRVS KESCHIDT.

Yy



CONTINVATIO.

Sicut Mandatum & Societas solo constant consensu, (a) sic quoque Emptio & eius correlatiuum venditio: (b) Quia verò eius materia est in corpore Iuris lata, (c) & in foro frequens, diuersis quoque vicibus & disputationibus tractabitur. In presenti, quomodo Emptio contrahatur, & de pactis, quæ ei solent adijci, reliquis suam partem relinquentes, videbimus.

(a) Instit. de oblig. ex consensu in princ. (b) l. 1. §. fi. ff. de contrah. empt. & Instit. d. t. La-gus in sua method. iur. ci. de obl. ex consen. (c) patet hoc ex rubri. ff. & C. quæ sunt nu. 27. Fabia, de Mont. S. Sabi. in suo tract. de emptio. & vendi. in princ.

THESIS I.

Origo Emptionis & vendit. à rerum Permutatione caput. Olim non erat ita nummus, uti nunc est, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, sed quisque secundum rerum necessitatem & temporum inutilibus vtilia permutabat.

l. 1. in princ. ff. h. t. Bart. Bald. & Dd. commu. hic, quamuis enim inter se sit magna affinitas, l. 1. C. de rer. permuta. l. 2. ff. de rer. permut. Plenè Specul. de locat. in ver. 121. tamen pluribus differunt, tex. in l. 1. d. t. ff. de rer. permut. ibidem glos. cum Dd.

II.

Quæ res cum magnum post se traheret incommodum, clarè Emptio à Permutatione est secreta. (a) Est q̄, nihil aliud, quàm contractus bonæ fidei, (b) nominatus, (c) iuris gentium, (d) in quo id agitur, ut emptor rem traditam accipiat, venditor verò pretij dominus efficiatur. (e)

(a) l. 1. §. sed verior h. t. l. 1. de rer. permut. (b) §. actionum Instit. de actio. & ibi Instit. t. z. (c) l. iuris gentium 7. ff. de pact. (d) l. ex hoc iure ff. de iustit. & iur. l. 1. §. fi. h. t. Iason in d. l. 1. in verb. ita, (e) tex. notab. in l. ex empto in princ. ff. de actio. emp. & vend. Bart. ibid. Fabi. de Monte in d. tract. q. 1. in prin. nu. 1.

III.

Sic definita, dupliciter fit, in scriptis & extra ea: (a) in scriptis, quando partibus sic volentibus non citius vim habet, quam scriptura de super facta, omnibus modis & in mundum redigendo, subscribendoq̄, absoluta sit: (b) donec enim aliquid deest scriptura, penitentia erit locus, tam quoad Emptorem quam Venditorem. (c) Sine scriptura verò consistit, simulatq̄, de pretio conuentum fuerit. (d)

(a) §. in ijs Instit. eod. Schneid. Instit. eod. in princ. (b) l. Contractus C. de fide in fru. Angel. ad d. §. In ijs autem, quod perpetuum in omnibus contractibus esse, qui in scriptis celebrantur testatur Baldui. in d. §. In ijs autem, per d. l. Contractus, l. testium C. de testib. & authen. de testib. §. & licet, collat. 7. (c) d. §. in ijs autem, (d) in prin. Inst. de empt. & vend.

IIII.

Aded quidem non citius subsistet, ut licet ante perfectionem Instrumenti res sit tradita, non tamen dominium translatum esse, censeatur.

l. vii.

l. vni. §. quod si prædia C. de suffragio, Glof. & Baldi. §. 2. Instit. eod. tit.

V.

Huic Contractui frequentius arrha solent interuenire, & hoc idèd, vt luculentius obligationem vtrò citroq, esse factam constet, (a) non quod sine ijs esse non possit, (b) quas emptor amittet, venditor duplicatas restituet, si ei contractui stare nolint, (c) sed quo re medio? actione empti & venditi. (d)

(a) l. quod sæpè 35 h. t. Inst. eod. §. 1. (b) l. penul. ff. de fide instrum. (c) Gomez. in resolut. var. sent. lib. 2. c. 2. nu. 18. Mynsing. §. 1. nu. 6. Inst. eod. tit. l. Contractus C. de fide Instrum. (d) l. ex empto ff. de actio. empt. §. Is qui vinum, Glof. ad §. 2. Instit. eod. Fabia. de Mon. d. tract. q. 5. in prin. nu. 68.

VI.

Recesso verò à contractu, & contrahentibus arrharum amissione punitis, vtrum vltèrius agere licebit? & licere, si modò maius vertatur interesse, definiendum puto.

l. ex empto, §. Idem ait, & ibi Bart. expressior textus in l. prædia & ibi Castr. ff. de actio. empt. glof. ad §. 2. Instit. eod. glof. in d. l. Contractus, argum. l. 1. ff. de vi bono. rapt. Bald. in d. l. Contractus, Specul. eod. tit. §. 1. primi contract. arrha. in ver. sub pœna, Fabia. de Monte q. 5. prin. num. 70. refertque ex Iohan. de Imo. hanc esse communem opinionem scribentium.

VII.

Sine coasensu, re & pretio, non magis consistet emptio, quam totum sine partibus essentialibus. (a) Vnde cum ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu te mihi vendere Sempronianum putasti, quia in corpore dissensimus, nulla emptio est. Idem, si es pro auro, plumbum pro argento, acetum pro vino vaneat contra Marcell. Vlpianus definit, (b) Planè dissensus in causa omnem omninò obligationem annullat. (c)

(a) Glof. notab. in l. pacta, ff. eod. Bald. in l. vendentis C. eod. vbi planius hoc declarat. (b) l. in venditionib. ff. eod. cum seqq. VVesemb. nu. 6. (c) l. in omnibus reb. & l. in omnib. negotijs, ff. de actio & oblig. l. 1. in fi. ff. de pactis, l. plurib. ff. de acceptil. l. si ego ff. si certum pet.

VIII.

Emptio potest fieri tam inter absentes, quam presentes, per Nuncium, per epistolam (a) signis quoque & indicijs, modò de consensu vtriusque contrahentis constet. (b)

(a) l. 1. ff. h. t. §. fin. Cyn. in l. generaliter, C. de non nu. pecu. l. 2. ff. de actio. & obligat. Mynf. de obligat. ex conf. in princ. nu. 3. & 6. & commu. ibid. Instit.

IX.

Sed hæsitatur, nùm velut ex obligatione, Nuncij, (a) sic ex facto Procuratoris tibi tuorè nomine stipulantis & ementis actio queratur? & si non tibi, an illi? & placuit neutri acquiri, (b) dum sibi non vult, nec tibi potest. Cui consequens est, qui sibi & Titio emit, rem non pro rata vtriusque, sed suam duntaxat insolidum fecisse. (c)

(a) l. qui autem cum seq. & ibi Bart. ff. de constit. pecu. d. l. 1. §. fi. h. t. ff. (b) l. multum in aere est, & ibi glof. & l. cum per eos, C. si quis alt. vel sib. sub alt. nomine, l. eum qui §. Iulianus ff. de constit. pec. l. 1. & ibi glof. C. per quas perfo. nob. argu. l. possessio §. possessio quoque ff. de acquir. pos. Costal. in d. l. qui autem, ff. de constit. pecu. (c) l. fundus ille ff. h. t. Barto. in l. re coniuncti, sub fi. ff. de legat. 3.

In arbi-

X.

In arbitrium alterutrius contrahentium vnum ex substantialibus huius contractus colatum, faciet emptionem non subsistere, quod id contrahentes non stringat. (a) Aliud erit, si in tertij voluntatem pretium conferatur, iuxta cuius definitionem erit soluendum. (b) quod si iniquè definierit, ad arbitrium boni viri recurretur. (c)

(a) l. in vendentis, C. h. t. Bart. in l. quod saepe §. 1. ff. eod. l. sub hac conditione ff. de actio. & oblig. l. centesimis ff. de verb. oblig. (b) glos. ad d. l. in vendentis, ibid. Castrenf. & Salice. (c) l. si ita, l. societatem mecum, ff. pro socio, Angel. ad §. pretium Instit. eod.

XI.

Pretij sola conuentio sufficit, in emptione & venditione, eaq; in numerada pecunia: (a) cui rectè coniungitur debere esse in valore rei emptæ congruum, alias potius donatio, quam venditio erit. (b)

(a) §. pretium, & §. item pretium Instit. eod. l. 2. ff. eod. l. vlt. C. eod. (b) l. etsi ex æquo, & l. si fundum per fideicommissum, ff. de lega. 1. si quis donationis ff. h. t. l. si quis conduxerit ff. locati.

XII.

Ad dominium verò transferendum si emptor habeat, vel si non habeat ad vsucapionis conditionem constituendam, opus est pecunia numeratione, vel fides de ea habeatur, vel etiam creditori quocumque modo satisfiat. (a) Quare si emptor non sit vel fiat soluendo, vendicando venditor creditoribus personalibus preferetur. (b)

(a) l. quod vendendi, l. vt res ff. eod. §. venditæ Instit. de rer. diuis. l. ex empto, in princ. ff. de actio. empt. l. procuratoris §. penult. & ibi Costal. de tribut. actio. Marant. distin. 4. c. 4. nu. 49. Fabia. d. trac. nu. 33. q. 5. (b) l. ventri §. in bonis ff. de priuile. credito. Fab. in d. §. venditæ Instit. de rer. diuis. Gaill lib. 2. obser. 15. nu. 4.

XIII.

Ceterum vt in emptione & venditione, an sic in alijs quoque contractibus, §. Venditæ habeat locum? & an Procurator ad vendendum mandatum habens, possit habere fidem de pretio? ad vtramque questionem affirmatiuè respondendum existimo.

pro prima facit l. ex placito C. de rer. permut. ratio est, quia iudicare debemus contractus ex ijs quib. proximè accedunt, l. naturalis §. si facio ff. de rer. permut. l. 1. §. si quis seruum ff. de positi, Barto. ibidem, l. eum qui, §. 2. ff. Commoda. Ludo. Roma. in consilijs suis conf. 86. dicitque eam esse communem. pro secunda est Barto. ad l. quicumque §. fin. ff. de Instit. actio. & in l. à diuo Pio §. sed si Emptor ff. de re iudic. quem etiam refert & sequitur Bald. in l. Inciuile ff. de rei vendic. Bart. in l. 1. ff. de offi. Procur. Casa. l. qui fundum §. Procurator tuus ff. pro emptore, Fabia. de Monte q. 3. princ. num. 30.

XIV.

Conuento igitur de pretio, venditor soluta pecunia simpliciter & precisè eam debet tradere, si habeat: (a) sed si damnatus fuerit eam tradere per sententiam, an nihilominus in executione, pecunia non soluta exceptionem opponere possit? potest. (b)

(a) §. alia Instit. de donat. contra gloss. l. 1. de actio. emp. §. pretium verb. tradatur Instit. h. n. tit.



n. tit. hæcque est communis sent. Dd. quam firmat Bart. d. l. i. Bald. in c. si facta, si de feud. controuers. fuer. fact. (b) ita tenet Alber. de Rosa. in sua marga. per l. fundus ff. de rescind. vend. quem ibi refert & seq. Bald. Idem tenet Specul. in tit. de excep. §. dicto, ver. sed pone, videtur probari per l. Iulianus §. offerri ff. de actio emp. l. si pater C. de actio. emp. l. si stipulatus ff. de usu.

XV.

Debet interuenire res que ematur, siue ea sit iam præsens, siue futura, (a) totum, (b) pars (c) genus vel species, (d) corporale, incorporale, (e) actiones, (f) annui redditus, (g) hæreditates, (h) iura. (i) res mobiles, immobiles. fundus dotalis si modo æstimatus sit, (k) quo casu pretium succedet loco dotis, (l) denique omne omnino, quod quis persequi rectè potest (m)

(a) l. nec emptio. ff. h. t. l. interdum 73. de verb. oblig. l. & quæ ff. de pign. (b) l. qui fundū h. t. (c) l. domum, l. sed si communis ff. cod. (d) l. si conuenit h. tit. (e) tot. tit. de actio. & hæred. vendi. (f) l. nominis 3. C. de hæred. & actio. vend (g) l. si. ff. de rer. permut. c. ad nostram, de reb. eccles. non alienan. Cyn. in l. si pater ff. de inoff. test. Ludo. Roma. in consi. 209. & communiter Dd. (h) d. tit. de hæred. & actio. vend. (i) ibid. (k) glos. in l. si inter visum C. de iur. dot. & Bald. ibid. Fabia. de Monte q. 4. prin. nu. 14. (l) l. res, l. si ex lapidicinis l. proculus in fi. l. ita constante, ff. de iure dot.

XVI.

Futura res quoque rectè emuntur, modò sperentur futura, quales sunt partus ancillarum, si uctus nascituri, & foetus pecorum, qui si nulli sunt, quasi conditio euauerit, nulla quoque erit emptio, diuersum si verba ad spem referantur, ut in iactu retis & similia uenit, aded, ut si sperata non existant, pretium soluendum erit. (a)

(a) l. nec emptio ff. h. t. l. si sterilis ff. de actio. empr. l. hæredita. ff. de hæred. vendi. l. 1. §. fi. ff. de condit. & demonstr. l. inter stipulantem §. sacram de verb. oblig. Azo in sua summa C. h. tit.

XVII.

Aliena res rectè vendi potest, vel utroque vel emptore tantum ignorante, (a) non ut vero domino in hoc quicquam præiudicetur, sed emptori venditor euictionis nomine teneatur, & indemnem eum ab omni interesse reseruet, (b) sin verò uterque sciat rem alienam esse, verius est emptionem non subsistere. (c)

(a) l. alienam ff. h. t. (b) l. si fundum C. de euictio. emptori. n. scienti non datur actio de euictio. l. cum quærebat. C. unde vi, idem notatur in l. fin. §. emptor C. commu. de lega. (c) gl. ordina. in l. si is §. si. ff. de usucap. per tex. in l. domū in fi. ff. cod. arg. l. si. ff. de pact. l. 1. C. de usucap. pro empt. consequeretur enim ex sua improbitate lucrum, quod esse non debet l. itaq; fullo ff. de furt. d. l. si fundum C. de euictio. demum Fabia. de Monte ad lōg. in d. trac. q. 4. nu. 8. & 9.

XVIII.

Contrà, emi non possunt, res sacra, nisi sit modicum & alterius rei accessorium, (a) res religiosa, (b) publica, (c) res propria, (d) furtiua, (e) res minorum, nisi cum decreto, (f) litigiosa, (g) feudalia sine permissione, (h) Emphyteuticalia sine requisitione directi domini (i) liber homo. (k)

(a) §. vlt. Instit. cod. l. In modicis ff. cod. (b) l. 4. ff. cod. & in d. §. Instit. cod. (c) §. vlt. (d) l. siue,

sue, eod. (c) l. si in emptio. §. Item si emptor ff. cod. (f) l. i. ff. de reb. cor. & per tot. tit. C. de prædijs mino. (g) l. si. & authent. si haeres, C. de litigio. glos. in c. saepe de restit. spoliat. (h) c. i. de prohib. feud. alien. (i) l. fin. C. de iure Emphyt (k) l. liberi hominis 70. & l. 5. ff. cod.

XIX.

Hoc loco commodè quæri potest, si prædium minoris sit alterius territorij, quam ipse minor, utrius potissimum iudicis decretum sit interponendum? & eligere eum posse communiter rectè placuit. (a)

(a) Bald. notab in l. i. C. de contrah. empt. referens Iacob. Butr. arguit pro & contra, & tandem in hanc inclinat, l. Iurisperitos §. i. ff. de execut. tut. potest enim coram utroque conveniri, ita d. lo. Bald. l. heres absens §. si. ff. de iudicijs. Mynsing. in §. Plus, Inst. de actio. nu. 12. Fabia. de Monte q. 5. princ. nu. 100.

XX.

Hac de emptione & venditione alicuius speciei vel generis. Eorum verò, quæ per pondus, munerum & mensuram emuntur alia aliqualis est ratio, ut non citius empta esse censeantur, quam appensa, annumerata, & annensa fuerint. (a)

(a) l. quod saepe §. in ijs autem ff. h. n. tit. & ibid. glos. l. 2. C. de peric. & commo rei vend. l. i. §. post mensuram ff. de commo. & peric. rei vend. l. si in emptio. §. alia ff. cod. Bart. in l. Iulianus §. si Titius ff. de act. emp. Nicasius §. si. vlt. notab. Inst. eod.

XXI.

Vendere possunt omnes, qui liberam suarum rerum administrationem habent. (a) Qua generali regula excluduntur statim prodigiij, quibus bonis interdictum, (b) furiosi & mente capti, (c) minores, (d) pupilli, (e) statuto vel consuetudine prohibiti. (f)

(a) l. si conuenerit in fi. & l. solutum §. si. ff. de pigno. actio. l. procurator cui, cum seq. de procur. (b) l. si sciens ff. h. t. l. is cui bonis, ibi plenè Bart. de verb. oblig. (c) l. i. & per tot. de curato. furios. l. qui à quolibet ff. eod. (d) l. i. in fi. cum seqq. de mino. tex. in l. eos, C. qui veniam æta. impe. (e) §. nunc admonendi Inst. quib. alien. licet vel non, (f) Fabia. de Monte q. 3. nu. 45 per l. dudum eod. Oldrad. in sua pub. disputat. quem sequitur Barto. ibi, & l. si. C. de sacros. eccles. l. multum ff. de verb. obligat. l. quorum ff. de pigno.

XXII.

Item prohibetur venditio inter Pupillum & Tutorem, nisi id fiat palàm & bona fide, (a) quod ad similes quoque erit producendum, Iudices & subditos, (b) Præsides & milites, (c) patrem & filium, (d) exceptis castrensibus & q. nec non aduentitijs, in quib. pater vsum fructum non habet. (e)

(a) l. 5. §. sanè ff. de autho. Tuto. l. in emptione §. si. ff. h. t. (b) l. vni. C. de contractib. iudi. & c. (c) d. l. in emptio. §. si. l. non licet ff. cod. l. qui officij ff. cod. excipe res, quæ alimentas res sunt & paternæ, d. l. qui offi. & d. l. vni. C. de contract. iud. (d) l. inter patrem & filium §. ff. h. tit. (e) Bart. in l. frater à fratre ff. de condiçt. indebi.

XXIII.

Iam de pactis. Primum est retrovenditionis, cum hoc modo venditur, ut si ipse venditor heredesvè eius, quocunque tempore, vel intra certum tempus redimere ab ipso emptore, heredibusvè eius, prout tunc conuentum fuerit, possint.

solenn.

solenn. tex. in l. 2. C. de pact. inter empt. & vend. & ibi commu. Dd. l. si vir uxori ff. de
præscrip. verb. Fabia. de Monte d. tit. q. 7. princ. in princ.

XXIV.

*Pactum in diem additionis est, cum res aliqua sub ea conditione venditur, ut si melior
fuerit conditio allata, discedatur ab emptione, (a) erit q³ pura, qua sub conditione resol-
uitur. (b)*

(a) l. 1. & 2. ff. de in diem additio. V. Vesemb. ibid. Zoannet. in expli. l. 2. num. 5. C. de pa-
ctis inter empto. & vendit. l. si quis hac lege in princ. ff. de rei vindicat. (b) l. 3. de contrah.
empti. d. l. 1. & 2.

XXV.

*Lex commissoria fit, quando ea lege inter emptorem & venditorem conuenit, uti, si
certo die pretium muneratum non fuerit, res sit inempta, (a) quibus duobus casibus, hoc
& superiore, ipso iure cum omnibus fructibus ad venditorem, Rei vindicatoria ipsi conces-
sa, res reuertetur. (b)*

(a) l. 1. & per tot. tit. de lege commissor. (b) l. item 9. l. Imperator 19. ff. de in diem addic.
l. 4. ff. de leg. commissio. circ. initium, Richard. in rubr. C. cod. num. 6. l. vlt. ff. d. tit. in verb.
vindicari, l. vlt. C. de pact. inter empto. & vend. Zoana. in expla. d. l. 2. nu. 5.

COROLLARIA.

I.

*Facultatem implenda conditionis tam in casu & fortuna, (a) quam arbitrio (b) posita
ad heredes in contractibus transire.*

(a) l. si quis Titius ff. de verb. oblig. l. 2. §. si pecuniam ff. de donatio. §. ex conditionalis
Inst. de verb. oblig. (b) l. si prædio ff. de in diem addic. l. necessario §. quod si ff. de pericu. &
commo. rei vend. elegantif. Cuius. in l. 57. ff. de verb. oblig.

II.

*Pactio vel prohibitione, ne res vendatur, non impediri dominij translationem si contra
fiat. (a)*

(a) l. ea lege ibi glos. & Bart. C. de condiēt ob causam, l. si ita quis §. ea lege ff. de verbor.
obligat. facit l. si sterilis §. si tibi ff. de actio. emp. vide glos. d. l. ea lege, l. si sciens ff. h. t.

III.

Agro vendito, vias publicas vel plateas nō cedere in modum, (a) diuersum in ripis. (b)
(a) l. id quod §. 1. ff. de per. & com. vend. Bald. in rub. C. de contrah. emp. (b) argum. l.
prædia §. ita legatum ff. de contr. emp. Fabia. de Monte q. 6. princ. nu. 15.

153255

AB: 153255

(X2203998)

K.



De legibus et constitutionibus Imperatorum Romanorum



Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



THESES
X TIT. FF. C.
ET INST. DE EMPTIO.
ET VENDITIONE, ET DE
PACTIS EARVNDENI.

QVAS AVSPICE DEO TRINO ET
SVB PATROCINIO CLARISSIMO. AC CON-
s. virorum D. Ioannis Michaëlis Cronenburgèri,
ato. & D. Ioannis Hollandt Fisci, SS. LL. Licent. in
floquentissimo & celeberrimo Agripp. apud Vbi-
os iuridicæ facultatis Collegio, pro con-
fueto more respondebit.

ET RVS Swhem RESENSIS.

Anno à redemptione humana CIO, IO. LXXXXI.
XIX. Cal. Ianna.



COLONIAE AGRIPPINAE
EXCVDEBAT PETRVS KESCHIDT.

Yy



45.